

ANTELOQUIUM XIX.

Quid de Indorum eruditione ex quo ab Hispanis excoli litteris cœperunt sit pronuntiandum.

Postquam de Hispanis in America nostra natis, & in ipsam adscitis tractavimus, Indos sistere reliquum nobis est, & ipsorum in Minervæ Palatio munera & sedes ut cumque liberè. Sacris nostris ex animo addicti non diu post ab expugnatione Mexicea, nec dum Hispanis assueti litteris, avitis industriæ Characteribus utebantur, cū pro tradendis memoriæ rebus sua ætate patratæ, tum pro alijs rem Christianam & politicam concernentibus. *In confitendo*, inquit laudatus supra Valadesius Franciscanus in Rhetorica Christiana part. 2. cap. 27. pag. nobis 95. *ingeniosiores adhibita picturâ demonstrant in quibus Deum offenderint, et calculos ad significandum ejusdem peccati iterationem, ad signum quo vitia vel virtutes denotantur reponunt, & quemadmodum hic viri pii et boni, enumeratione peccatorum contra præcepta divina confitentur, sic illi adjumento & inspectione picturæ.* Valadesio concinit Aosta in Historia Naturali & Morali Indiarum lib. 6. cap. 7. pag. nobis 409 miratus Indorum ingenia figuris & symbolis, quæ ab Hispanis non acceperant, Orationes Ecclesiasticas & Mysteria Fidei, cœteraque Christiana sic exprimentia, vix ut Hispanorum multi imaginibus possent eas explicare res, vel si annum aut decennium ponerent eo in negotio. Ubi verò formari Hispano-

no-

norum more cœperunt, egregiè proficere visi sunt. Nunc verò, scribit ad Paulum III Pontificem Maximum laudatus supra Antistes D. F. Julianus Garces, *tanta est ingenij eorum felicitas (de pueris loquor) ut & Latine & Hispanè scribant nostris pueris elegantius. Latine sciunt atque loquantur non minus quam nostri, qui se ejus rei studio deditere. Nulla sunt obstinatione Orthodoxæ Fidei insensæ aut pervicaces (ut Judæi & Mahometani) Indorum parvuli Christianorum decreta non audiunt modò, sed exaudiant, ac veluti ebibunt, citius hi & alacrius articulorum fidei seriem & consuetas orationes, quam Hispanorum infantes ediscunt, & retinent quidquid à nostris traditur. Aluntur intra Monasteriorum ambitum per suas classes & contubernia, per scholas & doctrinam ex ditioribus trecenteni, quadringenteni, quingenteni, & sic de singulis ordinatum secundum magnitudinem Civitatum & Oppidorum. Non clamosi, non jurgiosi, non litigiosi, non inquieti, non discolori, non tumidi, non injuriosi, placidi, pavidi, disciplinati, ad Magistras obtemperantissimi, obsequiosi ad Sodales, non querulosi, non mordaces, non contumeliosi, omni prorsus vitio (quo nostrates pueruli scætant) liberi. Dein Rationis optima compotes sunt, & integri sensus & capitis, sed insuper nostratibus pueri Indorum & vigore spiritus, & sensuum vivacitate dexteriori in omni agibili præstantiores inveniuntur. His quæ ab Illmo. & Religiosissimo Viro mutuati sumus, subjungere placet verba Illmi item & Clarissimi D. D. Joannis Diaz de Arce in Studio Bibliorum quæst. 49 scribentis de Mexicanis Indis: *Plurima evant Collegia, in quibus Collega quingenteni & sexcenteni in Christiana Catechesi, varijs Artibus mechanicis & liberalibus, Cantu Ecclesiastico, Rituali divinarum Officiorum, imò & Latinitate & Scientijs erudiebantur.**

Hæc inter Collegia eminebat constitutum Mexici,
Imperiale à S. Cruce nuncupatum, auspicio Ca-
roli V. Caesaris, ad Tlatelolco, PP. Franciscanorum
operâ & diligentia, pro litteraria Indorum insti-
tutione in Athenarum illud confluentium, quibus
dati fuere ex eodem Ordine Franciscano eximij
doctrinâ & virtute Magistri. Nec porro ij oleum
& operam perdiderunt elementa litterarum pri-
ma tradentes, Grammaticam, Rhetoricam, Dia-
lecticam, Physicam, & alias liberales artes, quod
eas omnes Indi citra negotium hauserint, & in
singulis mirè profecerint, ac Magistris ipsis & in-
stitutoribus Præceptores se dederint Idiomatis Me-
xici, & Œdipos egerint pro aperiendis scriptas
antiquis Characteribus gentis Historias, & pristina-
rum monumenta rerum Mexicanensium. Quibus
usj subsidijs P. Bernardinus Sahaguntinus mag-
num Dictionarium Mexicanum Historicum con-
didit duodecim constantem grandibus Volumi-
nibus. P. Petrus Oroz, & celebres alij ex an-
tiquioribus Franciscanis egregia Opera cons-
cripserunt, ut testatur qui ab Indis quoque se
profecisse gaudet P. Joannes Baptista in Proœmio
benè longo, quod extat in Libro sermonum ejus
idiomate Mexicano scriptorum. Ut enim Indi His-
panè sciebant atque Latine, & his, & nativo Idio-
mate utebantur expeditissimè, Versiones adorna-
bant Librorum Mexiceas, seu ex Latijs, seu ex
Hispanis fontibus, quod in Bibliotheca nostra con-
stabit, ubi Indos ab istis Translationibus claros lau-
dabimus. Tumetiam PP. Franciscanis simili argu-
mento insistentibus operam suam navabant. Adhæc,

Typographiam egregiè coluerunt, ex quo Mexi-
ci constituta fuit, eneis characteribus scribentes ex-
peditissimè cum Mexicanò composita Idiomate
Opera, tumetiam Hispano aut Latino sermone.
Multos sanè in re litteraria Indi fecere progres-
sus, majores enim verò facturi si Meccenates eis
adfavissent, & ut in cœptis pergerent are juvas-
sent. Quod tamen reditus Imperialis Collegij te-
nuiores essent quam oporteret, & infirmis prædijs
ac possessionibus collocati, sensim absumpti, tan-
dem aliquando evanuerunt, Athenarumque infre-
quens factum est, quod & si nostra ætate instaurari
cœperit, rursus evanuit numis ad id operis
deficientibus. Certè, ut est fuitque jam diu mis-
errima Indorum Natio, nullisque abundans opi-
bus, imò egestate laborans insigni, vix præter
Nobiles gentis ejus impendia studiorum causâ fa-
cienda in Scholis sustinent, queis si juvarentur, mul-
ti litteras colerent. Non id circo tamen nulli fue-
re eruditione præclari, quorum scripta proprijs in
sedibus collocabimus. Sunt etiam in præsentiarum,
ut jam pridem, non pauci, conspicuo nati gene-
re, qui studijs & laureis ornari, ea sunt præditi
eruditione, quæ Parochos decet, cui ministerio stre-
nuam dederunt operam, dantque etiamnum. Nec
desunt qui scholasticam etiam Theologiam ebibant,
in qua non pœnitendos fructus fecerunt aliqui, the-
ses de ea tota publicè defendentes, mirantibus
eruditis hominibus, Præceptoribusque plauden-
tibus, ut nuper memoria tradidit politissimus ac
doctissimus vir P. Josephus Gumilla, Hispanus
Gandiæ genitus apud Valentinos, Societatis Jē-

su. Provinciae novi Regni Granatenfis Provin-
cialis, in *Orinoco illustrato & defenso* tom. 1. cap. 173
pag. 278. Edit. 2. Matritensis apud Emmanue-
lem Fernandez anno 1745. Quo loci monet, In-
dos Mexicanos ingenio excellere multum, pra-
stareque Meridionalis Indis America, quibus usus
non est natos suos, ut Mexicani de more habent,
Academij seu Universitatibus pro Scientiarum
cultura addicere. Adhuc, plures etiam, quamvis
ab Scholis extranei, multa ingenij & industriae
specimina palam exhibent haud quaquam vulgaria, &
quibus memoria tenemus non ita pridem vita
functum D. Ignatium Antonium Sandoval, nobili-
simum genere, quem totos quadraginta annos fere
quotidie ad Aedes Oratorianas convenientem no-
vimus, dotibus jure multis laudandum. Musica tam
erat peritus, ut & Citharedum ageret & Lyricen,
juxtaque Chorales & Tibicen esset, Organo scite lu-
deret, & Symphoniam duceret, sive Diathono uten-
dum esset, sive Chromatico sono, aut figurato.
Tum, ut erat pingendi doctus, telis colores indu-
cere solenne habuit. Sculpturae operam dabat,
aurarium agebat, & in hisce omnibus juvenes ef-
formabat, pijs ipse interea moribus ad senium
usque & obitum institutus. Nec praetermittendum
duximus, nuper memoratum Authorem P. Gu-
millan, opportunè multa subjungere pro Indorum
constantia in Fide Catholica ab imposturis exte-
rorum aliquot vindicanda, signatimque ab eis quas
& in Hispanos & in Indos scripsit Noblot fol.
520. tom. 5. Geographiae suae & Historiae Uni-
versalis, quae perspecta optamus essent iis qui His-

panos una carpunt & Indos, horum Fidei, illorum
que nomini invidiam moventes, quos inter Scrip-
tores sine monumentis & fide dignis testibus isthaec
effruentes (ecquis enim ingenuus Vir solennibus
suffragetur mendacijs?) numeramus Fredericum Sa-
muelelem Bock in succinta Historia Missionis quam
afferunt Lipsienses in Actis anni 1744 pag. 183.
ita scribentes: *In America multos populos non tam effi-
caci convictione, quam vi ad christianam religionem traxe-
rant (Catholicae Fidei cultores) adeo ut in Hispania
Archiepiscopatus & 44 Episcopatus, imò Seminaria passim
constituerint, ac Inquisitionem Hispanicam immutassent. In-
troduxerunt quidem & constituerunt ista, plurima
que alia pro Catholica Fide Romanam docenda, ampli-
ficanda, fovenda in vastissimis hisce regionibus, quarum
incola ultro sponteque sua universali Ecclesiae
aggregati, quotidie alacriores & ferventiores in ca-
ritate, egregia religionis & pietatis monumenta de-
dere, perguntque in dies illustriora palam & coram
dare. Nec verò crimen Nationis est, quod ab aliqui-
bus clam patratum in vitam relapsis idololatriam, seu
commune scelus Indis à nonnullis obicitur: nisi
detractores isti dedecus credant Nationum, quae apud
Europam Catholicae Fidei laude florent & gloria,
quandoque ab ipsis progenitos viros nequam, Heresi-
sum architectos, & Dogmatum fabros, quae caute pejus
& angue illae ipsae Nationes execrantur & oderint.
At haec obiter insinuasse sit satis, lectores amite-
ntes ad Historiographos nostros praecleara Re-
ligionis & pietatis Indorum exempla tradentes,
Illud, que Virum D. D. Joannem de Palafox tom.
6 Tractatum de Natura eorundem ac Virtutibus
ad Regem Catholicum nuncupantem.* AN-